



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Panis & calix Domini sunt vnum & etiam duo Sacmenta

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

In Apolo-
gia ad Ab-
bate Cli-
maceum.
 derabatur, quām verbum & mandatum Domini? Non igitur licet ex scelerata pulpa, ut inquit Persius, iudicare quid Deo placeat, & sacro-sancta eius sacramenta ornet: sed ex verbo Dei. D. Bernhardus existimat Poëtam istum scribentem contra Ethnicos, maiori cum vituperio & opprobrio nobis obiciendum esse, ac dicit, Episcopi, quid sibi vult aurum in sacrario? Verum satis de his dictum est in Articulo de bonis operibus.

Quinta pars.

De Communione sub utraque specie.

Arguere abusus, non est condemnare Catholicam Ecclesiam.

De dicto Cypriani Epistola 3. lib. 2. utique ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur.

C A P. LXXII.

 N hoc articulo quadruplicem accusationem instituunt Aduersarij. Cuius primum caput est, Quod liber Reformationis vniuersam Christi Ecclesiam damnet, quæ laicis, sacramen-tum illud longo iam tempore sub vnâ tantum specie por-rexit: tum quod dicit, Hunc abusum tacitè irrepsisse.

Alterum est librum Reformationis sacramentum istud duo sacra-menta, eadémque panem & vinum appellare, & aliâs de hoc ita loqui, ac si sub altera sola specie non contineantur simul corpus & sanguis Domini.

Tertium librum docere, quod oporteat nos apud sacramentum istud omnia & singula necessariò facere, quæ Christus in Cœna sua peregit, nec ab eo ullis modis recedere, licet etiam Angelus de cœlo, aut Apostolus aliquis aliud doceat vel prædicet, nec curandum esse, quid nomi-ne Cœna aut missæ antehac toto mundo obseruatum sit, aut modò ob-serueretur. Et quod hucusque ignoranter in hac sacratissima actione a-ctum sit, aliter quām ordinauerit.

Quartum librum torquere sanctum Cyprianum aduersus Catholicam Ecclesiam, quasi præsides Ecclesiarum in eo, quod sacramentū sub altera specie hucusque porrexerunt, ministerio & vice Christi non sint perfuncti: quin potius mandatum eius abiecerint, propter traditiones hominum, atque ita se constituerint reos corporis & sanguinis Christi.

*Defensio Libri, sumptu ex verbo Dei, & Obseruatione
 veterum Ecclesiarum.*

AD primum caput huius Accusationis. Festatur quidem liber Re-formationis abusum esse, quod in S. Cœna non ambo sacramenta omnibus fidelibus ministrantur, iuxta institutionem & mandatum Do-minii: atque etiam affirmat eum tacitè irrepsisse, & à nullis Patribus tale quid ordinatum fuisse. Priorem partem quilibet Christianus facile a-gnoscit, qui nouit abusum esse quoruscunque aliquid usurpatum, quām